



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Barnabas Apost. 11. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

S. BARNABAS APOST. II. Iunii.

HAbuit BARNABAS patriam Cyprum; magistrum in lege Iudaica Gamalilem; in Christianâ ipsum Christum. Apud hunc virtus illum in collegium discipulorum LXXII. adlegit; & melior deinde fortuna orbem perambulanti Paulo aliquamdiu comitem addidit. Lystris postquam Paulus claudum in pedes erexit, urbs utrumque velut cælo delapsa Numina excepit; jamque aras, & victimas, & geniales coronas paravit, in Paulo Mercurium, in BARNABA Iovem venerata. Et profectò, etsi, ut par erat, divinum honorem longè illi repudiarent, officio tamen tunc melioris Mercurii functi sunt, *Deumque* civibus nuntiarunt. Supervenientes quoque Iudæi plausum lapidibus excitarunt, & his tantum non sepultum Paulum, facilè hominem, non *Deum* esse probarunt. BARNABAS etiam Salaminæ à Iudæis multis tormentis exercitus, saxi ultimò obrutus, & in ignem coniectus est. Sed ex hoc etiam rogo suum cælo Phœnicem vidisses prodire, integro etiam corpusculo, quod D. Marcus terrâ composuit. Multo post, cùm in sedem Antiochenam invasisset nescio quis hæresi p. stilentî afflatus, vigilavit pro re Catholicâ etiam mortuus BARNABAS, & Anthimo Salaminæ

A a

370 VITÆ SANCTORUM. 12. Iunii.
minæ Episcopo tertium visus monuit, uti
communis causæ patrocinium Constan-
tinopoli apud Imp. susciperet; simul et-
jam indicavit, quo loco ossa sua, & unâ
volumen, in quo D. Matthæi Evange-
lium exaraverat (nobilissima cimelia)
reperiret. Et verò utrumque in honore
habuit Zeno Imp. & corpus templo au-
gusto honoravit, volumen verò auro in-
clusit, rectè gemmam esse ratus. Ex act.
Apost. Baron. & Lipp.

*Agnosce dignitatem tuam, & divina
consors factus naturæ, noli in veterem vili-
tatem degeneri conversatione redire: me-
mento cuius capitis & corporis sis mem-
brum, & quia erutus de potestate tenebra-
rum translatus es in Dei regnum & lumen.*
S. Leo. serm. de Nat. Dom.

S. O N U P H R I U S C O N F. 12. Iunii.

O N U P H R I U M toto hirsutum corpore,
& rara humani cultûs retinentem
vestigia, poterat sanè silvarum mon-
stris, & Satyrorum generi accensere
Paphnutius, si in externâ specie substi-
tisset. At ubi congressus vitæ genus mo-
resque didicit, dubitavit hominè mne po-
tius an Angelum diceret. In Thebanâ
regione monachum indutus, cùm de A-
nachoretis fando accepisset, egressus in
loca sola Angelum viæ comitem habuit.
Nactus deinde novi instituti magistrum,
in